

sint exitum perventurae. Nam qui videt, si ei rei, quam primo rogetur, recte assenserit, illam quoque rem, quae sibi displiceat, esse necessario concedendam, plerumque aut non respondendo, aut male respondendo, longius procedere rogationem non sinit. Quare ratione rogationis imprudens ab eo, quod concessit, ad id, quod non vult concedere, deducendus est. Extremum autem aut taceatur oportet, aut concedatur, aut negetur. Si negabitur, aut ostendenda est similitudo earum rerum, quae ante concessae sunt, aut alia utendum inductione. Si concedetur, concludenda est argumentatio. Si tacebitur, aut elicienda est responsio; aut, quoniam taciturnitas imitatur confessionem, pro eo, ac si concessum sit, concludere oportebit argumentationem. Ita fit hoc genus argumentandi tripartitum. Prima pars ex similitudine constat una, pluribusve. Altera ex eo, quod concedi volumus, cujus causa similitudines adhibitae sunt. Tertia ex conclusione, quae aut confirmat concessionem, aut quid ex ea conficiatur, ostendit.

Ad Herenn. II. Cap. XX. Duo genera sunt vitiosarum argumentationum: unum, quod ab adversario reprehendi potest; idque pertinet ad causam: alterum, quod tametsi nugatorium est, tamen non indiget reprehensionis. Quae sint, quae reprehensione confutari conveniat, quae tacite contemni atque vitari sine reprehensione, nisi exempla subjecero, intelligere dilucide non poteris. Quoniam igitur ostendimus, perfectam et plenam argumentationem ex quinque partibus constare, in unaquaque parte argumentationis, quae vitia vitanda sint, consideremus: ut et ipsi ab his vitiis recedere, et adversariorum argumentationes hac praeceptione in omnibus partibus tentare, et ab aliqua parte labefactare possimus.

Cap. XXI. *Expositio* vitiosa est, quum ab aliqua aut a majore parte ad omnes confertur id, quod non necessario est omnibus attributum; ut si quis hoc modo exponat: *Omnes, qui in paupertate sunt, malunt maleficio parare divitias,*